



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Leges Presbyterorvm Northvmbrensvm, Cvm Ad Mores eorum  
corrigendos, tum ad ipsorum ministeria promouenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

## LEGES PRESBYTERORVM

NORTHVMBRENSIVM, CVM AD MORES  
eorum corrigendos, tum ad ipsorum ministeria pro-  
mouenda.

## I.

Ex manu-  
scripto co-  
dice biblio-  
thecæ Can-  
tuariensis.

A. 4.

**S**i quis presbytero alicui iniuriam intulerit, omnes sui  
ordinis, auxiliante episcopo, emendationem diligen-  
ter current, & vnicuique fiat iustitia, prout scriptum est:  
*Quasi cor unum & anima una.*

## II.

Alterius ec-  
clesia non  
est in uaden-  
da.

Et prohibemus (sicut a Deo est prohibitum) presbyte-  
rum aliquem ecclesiam alterius emere; sed neque alterius  
recipere, nisi illius fuerit qui ob crimen aliquod capitale  
indignus censeatur ut altari deseruiat. Si quis presbyter  
contra hoc deliquerit, honore suo exuatur & parium suo  
rum amicitia, Missam nullam celebrato, donec id legitimo  
permissu faciat. Soluat etiam is qui iniuriam intulit  
20. oras, \* & episcopo 12. horas, & presbytero quem eiecit • *Lega-*  
*dum us-*fas*to 10.*  
*oras epi-*scopo* 12.*  
*oras pres-*bytero*,*  
*&c. & 12.*  
*oras co-*mitibus**  
*&c.*

## III.

Et si presbyter quispiam deliquerit in officio, & epi-  
scopo inhibente Missam celebrauerit, pendat eo nomi-  
ne 20. horas, & deliquium nihilo minus quod patrauerit  
resarcito.

## IV.

Si presbyter ipsius episcopi edictum neglexerit, 20. oris  
compensato.

## V.

Si presbyter cum laicis contribuerit quod inter sacros  
ordines rite debet, 20. oris restaurato.

## VI.

Si presbyter edictum archidiaconi non exequatur, 12.  
oris eluito.

## VII.

VII.

Si presbyter reus criminis contra archidiaconi prohibitionem Missam celebrauerit, 12. horas dependito.

VIII I.

Si presbyter officium baptizandi aut confitendi dengauerit, luat 12. oris, & veniam apud Deum acrius implorato.

IX.

Si presbyter chrisma tempore debito non quærat afferatque, i<sup>o</sup>. oris hoc exoluat.

x

Infans omnis intra 9. noctes mature baptizetur, sub poena 6. orarum. Et si infans aliquis intra 9. noctes per negligentiam mortuus fuerit, componatur apud Deum absque multa saeculari. Sed si exactis 9. noctibus per negligentiam mortuus fuerit, componatur utique apud Deum, & soluantur præterea illi parochia 12. ora, quod infans tam diu fuisset Ethnicus.

XL

Si presbyter in diebus festis vel ieuniis populo indiccendis deliquerit, apud Deum veniam petat, & 12. oras pensato. XII.

XII.

Si presbyter in aliena dioecesi ordinationem iniuste obtinuerit, 12. oris mulctetur, diaconus 6. & exuatur ordine, nisi dioecesanus episcopus ordinationi nepercerit.

VIII

### XIII.

Si presbyter in ædibus non consecratis Missam celebrauerit, i.e. oris luto.

VII

#### XIV.

Si presbyter super altari non consecrato Missam celebrauerit, i.e. oras dependito.

CO.

XV.  
Si presbyter in ligneo calice corpus dominicum consecraverit, ea oris emendata.

ato.  
VIII

XVI.  
Si presbyter absque vino Missam celebrauerit, 12. oris  
abluito.

三三三

## XVII.

Si presbyter corpus Christi negligenter curauerit, 12.  
oras solvet.

#### *Concil Towns.*

6

## XVIII.

Si presbyter saepius quam ter in die una Missam celebrauerit, 12. oris multator.

## XIX.

Si quis pacem ecclesiae violauerit, componat secundum ecclesiae disciplinam, & secundum quod eiusdem fit immunitas.

## XX.

Si quis apud ecclesiam mercaturam exerceat, *laghſlit*, id est legis violatae, pœna esto.

## XXI.

Si quis ecclesiam suis necessariis deseruire fecerit, ut de lege violatae hoc componat.

## XXII.

Si quis presbyterum ex ecclesia sua iniuste eicerit, *laghſlit*, id est legis violatae, pœnam subeat.

## XXIII.

Si quis presbyterum vulnerauerit, vulnerationis curram pensato, & propter sacrum eius ordinem, in compensationem altaris etiam 12. horas numerato. Sin autem in diaconum hoc sit perpetratum, 6. horas in altaris violati premium exhibeto.

## XXIV.

Si quis presbyterum interficerit, plenam capitis astimationem (quod vveram dicunt) pendito: episcopo etiam in compensationem sceleris in altare editi 24. horas. Sin in diaconum hoc sit perpetratum 12. horas numerato, ob altaris violati compensationem.

## XXV.

Si presbyter quid commiserit in dedecus ecclesiae, honorem omnem quem ex ea consecutus est amittat integrum.

## XXVI.

Si presbyter rem aliquam indecentem in ecclesia posuerit, hoc emendato.

## XXVII.

Si presbyter quidpiam ecclesiae alienauerit, illud compensato.

## XXVIII.

Si presbyter sua sponte ecclesiam deseruerit in quam ordinatus fuit, id idem emendato.

## XXIX.

Si presbyter alium contempserit, vel in eum verbis aut factis peccauerit, id etiam compensato.

## XXX.

Si presbyter cum alio pugnauerit, emendet hoc, cum apud ipsum, tum apud episcopum.

## XXXI.

Si presbyter alicui in iniusta causa sit auxilio, hoc emendato.

## XXXII.

Si presbyter alicui iustum auxilium denegauerit, id compensato.

## XXXIII.

Si presbyter alterum non admoneat de eo quod nouit ipsi detimento fore, illud compensato.

## XXXIV.

Si presbyter barbam vel comam radere neglexerit, compensato.

## XXXV.

Si presbyter concubinam suam dimiserit, & aliam accepit, anathema sit.

## XXXVI.

Si presbyter ad tempora constituta vices non pulset, vel horas non cantet, hoc compensato.

## XXXVII.

Si presbyter cum armis ecclesiam intrauerit, hoc compensato.

## XXXVIII.

Si presbyter male absoluuerit anniuersarium ecclesiæ ministerium interdiu vel noctu, illud compensato.

## XXXIX.

Si presbyter ordalium male disposuerit, compensato.

## XL.

Si presbyter tonsuram suam obuelet, emendato.

## XLI.

Si presbyter ebriosus, aut scurrilis, aut *eal scop* fuerit, compensato.

## XLII.

Si presbyter inter vicinos in parochia sua aliquid occultauerit ad iniustum regimen exercendum, hoc emendato.

## XLIII.

Si presbyter annuersarios ritus per obliuionem prætermiserit, emendet.

## XLIV.

Si presbyter Synodum declinauerit, hoc compensato.

## XLV.

Sipresbyter se iustitiae non submiserit, sed decreto episcopi repugnauerit, vel id corrigat, vel a communione separetur ordinatorum, & exuatur tam e societate sua, quam honore quolibet, ni se submiserit, & luculentius satifecerit.

## XLVI.

Si quis legem diuinam vel humanam calumniatus fuerit, acriter corrigatur.

## XLVII.

Debemus omnes Deum vnum venerari & diligere, vnam etiam fidem Christianam tenere mordicus, omnemque paganisimum vnanimiter abiicere.

Superstitionis Ethnicae rei quomodo punienda.

Si quis igitur posthac aliquem cognouerit, qui superstitiones aliquas Ethnicas exercuerit, siue per sortilegium, siue per torrem, vel qui beneficiis delectatur, aut idola colit, si thanus sit regius, 10. semimarcis plector, vna scilicet medietate Christo, altera vero ipsi regi.

Si sit alius possessor prædiorum qui fecerit, 6. hic semimarcas dependito, medietatem scilicet vnam Christo, alteram fundi illius domino.

Si inferior quispiam qui färbena dicitur, 12. oras soluat.

Si thanus regis hoc in lite negauerit, nominentur ei 12. compurgatores, & accipiatur e consanguineis suis duodecim, duodecim etiam alienigenas. .... & si defecerit, lahslitam pendito 10. semimarcas.

Si possessor prædiorum hoc negauerit, accipientur ei tot parium suorum, quot thano regis indicebantur, & si is defecerit, lahslitam pendito 6. semimarcas.

Si cyrliscus ( id est rusticus vel paganus ) hoc in lite negauerit, accipientur ei parium suorum quotquot prædictis aliis est indictum: & si is defecerit, lahslitam pendito 12. oras.

## XLVIII.

Si supersticiosus ille Conuentus, qui *frithgear* dicitur, Conuentus  
supersticio-  
sus.  
habitus fuerit in terra alicuius circa lapidem, arborem,  
fontem, vel nugas alias istiusmodi, pendat, qui hoc fece-  
rit, legis violatae multam, dimidium Christo, dimidium  
terræ domino; & si terræ dominus noluerit auxilium præ-  
bere ad hoc corrigendum, habeant Christus & rex emen-  
dationem.

## XLIX.

Mercaturam in die solis exercere, & curias alicubi ce- Dies folis.  
lebrare prohibemus: opus etiam quodlibet, & omnimo-  
dam ventionem, siue in plaustris, siue in equis, siue in aliis  
oneribus ferendis. Qui contra hoc deliquerit, liber mul-  
tam soluat 12. oras; seruus corium perdat, id est vapu-  
let, ni sit viator necessitate compulsus, vel propter cibi  
inopiam, aut ex causa euitandi inimicos. In vigiliis festo-  
rum itinerari ex necessitate licet inter Eboracum & sex  
inde mille passus mensuratos.

## L.

Qui festa aut debita ieunia violauerit, 12. oris luat.

## LI.

Volumus etiam ut omnis denarius Romanus integre Denarius  
Romanus.  
soluatur ad cathedram episcopalem ante Missam sancti  
Petri annuatim: & præterea volumus ut in quolibet Vva-  
pentachio duo fideles thani, & presbyter Missalis unus  
ellegantur ad hunc colligendum, qui acceptum protinus  
tradtant, interposito, \* si necesse fuerit, iuramento.

Si vel thanus regis, vel quis alias fundi dominus, hunc  
detinuerit, multam inferat 10. semimarcas, dimidium  
Christo, & dimidium regi.

Si villaticus aliquis hunc denarium aut celauerit aut de- De eodem.  
tinuerit, eum soluat dominus eius prædialis; & in com-  
pensationem bouem capiat villatici. Quod si dominus de-  
trectauerit, accipient Christus & rex 12. oras in pleniorem  
emendationem.

Si decimas qui thanus est regis detinuerit, 10. pendito Decimæ.  
semimarcas, possessor prædiorum 6. & cyrliscus seu paga-  
nus 12. oras.

## LII.

Prohibemus etiam (vt a Deo est prohibitum) vt nemo Coniugij.  
Cc iij

habeat nisi vxorem vnicam, & hanc vtique debite coniugatam, & in conspectu publico datam antea: & vt nemo matrimonium contrahat in cognatione sua, scilicet infra gradum seu geniculum quartum, nec cum consponsali sua ad fontem sacram. Si quis contrarium fecerit, careat Dei misericordia, ni resipiscat, & secundum arbitrium episcopi compensauerit. Sin vtterius in nequitia progrediens moriatur, honesta careat sepultura, & a Dei misericordia alienus esto.

## L III.

Monialis.

Si quis cum moniali concubuerit, vterque pendat vveram suam, id est capitis aestimationem, ipse scilicet atque illa; & si in hoc moriantur absque pœnitentia, honesta careant sepultura, & a Dei misericordia alieni sunto.

## L IV.

Vxorem di-  
mittens.

Si quis vxorem suam legitimo matrimonio viuentem dimiserit, & aliam illegitime duxerit, careat Dei misericordia, nisi emendauerit. Vnusquisque autem iuste teneat matrimonium suum dum vxor vixerit, nisi forte acciderit quod consilio episcopi separentur, vt diuisim postea viuant in castitate.

## L V.

Si quis in posterum leges iustas violauerit, assidue componat.

## L VI.

Debemus omnes Deum vnum venerari & diligere, fidem vnicam Christianam tenere mordicus, omnemque paganismum penitus abiicere. Et volumus vt *land ceap* & *lab ceap*, & responsa prudentium, & verum testimonium, & iustum iudiciū, & *fulloc* & *frum talu* firma permaneant: poculenta etiam, & esculenta, dominoque fundi debitæ retributides persoluantor: & vna semper sit in populo Christianitas, & regnum vnum.

*Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & usque  
in saeculum.*